

DISPUTATIO PHYSICA
DE
MONSTRIS.

Quam,
Divinâ assistente gratiâ,

Sub PRÆSIDIO

VIRI

NOBILISSIMI, AMPLISSIMI,

EXCELLENTISSIMI ATQVE

EXPERIENTISSIMI,

DN. HENRICI MAJI,

Med. Doct. Serenissimi Hassiæ Princip. Archiatri,
itemque Anatom. Chirurg. & Physices Profess. Ordin.

Facultatis Medicæ p.t. Decani Spectatissimi, Præceptoris
ac Promotoris sui ævitemnum suscipiendi,
colendi.

Ad diem 7 Martii, horis solis,

In Atrio Philosophico,

Publicæ Eruditionum disquisitioni subijcis

ECHARDUS DÖNCHIUS,

CATTO-METZENSIS.

1660



MARBURGI CATTORUM,

Typis SALOMONIS SCHADEWITZII, Acad. Typogr.

Anno M, DC, LXXIV.

W. Sch. 4660.

846. Sch. 4660.

I. N. D. N. J. C.

Materia aliquam Philosophicam exercitii gratiâ propo-
 fito, pra omnibus ex rebus naturalibus, quarum contem-
 platio non tantum nomine digna censetur verum etiam
 haud exiguum fructum animis nostris adferre, illam de
 monstrorum in hac rerum universitate, saepe praeter omnem intentio-
 nem occurrentium Naturis, variis generibus eorumq, casibus brevissime,
 ne nostra disputatione in monstruosam excresecat molem, pro ingenio tenui-
 tate circumspicere lubuit, siquidem ex his Dei magna vis innotescit ho-
 minibus nescientibus eam. Cum vero materia hac nimis sit abstrusa &
 ardua, si non omnia acu tetigero L. B. ignosce, eiq, boniq, consule. Deus
 capta secundet. Sit E.

SECTIO I.

Quid sit monstrum?

Priusquam ad definitionem ipsam descendamus, Etymologiam
 vocis monstrum, quasi verbo saltem praemitemus, per eandem
 enim nonnunquam in ipsius rei notitiam pervenimus. Multi volunt
 colligi posse ex Cicero. 2. de naturâ Deorum, monstrum dici à mon-
 strando, quasi eventum aliquem futurum monstrat & praedicat: Scri-
 bit enim iste his verbis: *Monstra, praedictiones, & praesentiones, quid
 aliud declarant, hominibus, nisi ea, quae futura sunt, portendi & pra-
 dici &c.* Sed quoniam non semper monstra notabile quid ostendunt
 futurum, alii volunt monstrum dici quasi quod digitis monstratur ab
 omnibus: cum enim aliquid inconsoetum apparet, tunc ab omni-
 bus signari solet: quæ opinio etiam magis consentanea videtur. Fe-
 stus monstrum à monendo dictum esse putavit, quasi *monestrum*, quia
 nos monstra admonent periculorum, jam jam nobis imminuentium
 & subsequendarum poenarum, quibus divina majestas mortales ob
 peccata commissa impostertum afflictura est. Nos hæc in re curio-
 si esse nolumus istamque litem Grammaticus dirimendam linquimus.
 Quid autem monstrum sit, variè solet à Philosophis explicari. No-
 bis placet vulgata illa definitio: *Monstrum est effectus naturalis, à*

recta & solita secundum speciem dispositione degenerans. Dicitur 1. *effectus naturalis*, nam, licet etiam (teste Aristot.) in rebus arte factis, cum ab artis regulâ desciscunt, monstra interdum visantur; ea tamen non propriè, sed secundum analogiam ad res phisicas, monstra appellari consueverunt; eò quòd non à natura vel naturali agente, sed ab arte vel aberrante artifice defectiones illæ proveniunt. Dicitur 2. *à rebus dispositione degenerans*: quia effectus naturalis non dicitur monstrum, nisi in quantum deficit à perfectione, quæ ipsi secundum leges naturæ debetur. Dicitur 3. *notanter à solita dispositione*, quòd denotetur rarò debere contingere talem effectum. Nam, quòd est solitum est frequens, E. quòd degenerat à solito, degenerat à frequenti & est rarum. Adicitur 4. *secundum speciem*, ubi observandum quòd hæc verba non velint hoc nempe; monstrum specie semper debere differre, ab eo, cujus respectu monstrum dicitur. Notum enim est monstra esse in duplici differentiâ alia esse monstra primi, alia secundi generis. *Primi generis monstra* sunt hujusmodi partus monstrofi & prodigiosi, qui ex animalibus nascuntur non sui generis specie, sed aliâ prorsus dissimili; hoc est, qui ita notabiliter degenerant, ut prorsus aliam speciem referant ab eâ sic Lutherus in commensalibus colloquiis fol. 456. suo tempore mulierem murem peperisse memorat. *Secundi generis monstra* sunt, quæ non eandem membrorum seu partium externarum dispositionem, quam alia species sibi vindicat, obtinent. Nam v. gr. si nascatur homo senis aut pluribus digitis in utraque manu, iste quidem dici posset monstrum secundi generis, hoc monstrum tamen specie ab aliis hominibus non differret. Volunt igitur hæc verba, monstrum debere saltem secundum aliquam dispositionem discrepare à rebus consuetis speciei, seu, ut clarius dicamus: qualibet species certam dispositionem partium vel membrorum requirit, ut in membris animalium videre est, à qua dispositione si deficiat res monstrum dicitur. Quòd pertinet quando Arist. libr. 4. de generatione animalium cap. 5. inquit: *Monstrum esse id, quòd non est simile suis parentibus.* Quæ verba sanè non possunt intelligi de similitudine essentia, cum omnia monstra quoad essentiam similitudinem plerumq; habeant cum genitoribus suis & non ita in totum planè recedant ut nullam similitudinem observent, non enim ex homine nascitur oliva; nec ex arboris semine animal aug-

lapis; verum de similitudine dispositionis hoc intelligendum: quod nimirum effectus hujusmodi non sit similis suis parentibus quantum attinet consuetam speciei dispositionem. Non autem uno ac eodem modo hæ obliquitates effectuum monstruosorum fiunt. Aliquando enim fiunt secundum quantitatem, idque duobus modis vel *in excessu*, ita ut excedatur magis propria quantitas, aut totius, aut membri alicujus quam debita ac solita dispositio requirebat. Vel *in defectu*, quod fit tam in continuâ quantitate, quam in discretâ, quoad numerum partium, & membrorum, ita ut partes, vel pauciores vel minores sint, quam naturalis dispositio alias postulat. Aliquando, cum non adest debita qualitas, quæ in figurâ, colore dispositione & ordine membrorum & partium attenditur. Denique cum tempus non observatur, etiam si reliqua sint, ut puta, cum nascitur animal cum dentibus, puer cum capillis, & barbâ, omnes hæ obliquitates effectum naturalem, aut omnes aut singulæ monstrum reddunt: Hæc de descriptione monstrorum.

SECTIO II.

Ex quibus causis procedat monstrum?

Cum tot & tam variæ in corporibus naturalibus occurrant defectiones, aberrationes & monstrosi partus, non immeritò inquirimus in eorum causas: Et quidem de monstris formaliter & abstractivè si loqui velimus, cum nihil aliud sint, quam aberratio naturæ à proposito fine, meritò confitemur non dari illius causam efficientem sed potius deficientem; meri defectus enim & privationis in se causam aliquam inquirere positivam supervacaneum est. Verum materialiter loquendo de monstris monstrosisque naturæ effectibus recensentur illius causæ quàm plurimæ. Fit enim error ex parte materiæ vel abundantia vel deficientis. *Abundantis*, quando materia facti generando abundat, vel excedit, & sic vi formativâ accedente membra vel ultra modum excreseunt, vel geminantur. *Deficientis* quando deficit materia, & etiam membra vel omninò, vel saltem à justâ suâ mensurâ & proportionem deficient. *Deinde* etiam potest error esse in defectu virtutis seminalis, cum debilis est, sive deinde sit materia deficiens sive non, hinc fit ut partes corporis sæpius sint confusæ & discretæ & ad munia obeunda inutiles, virtus enim minus agit in

distantia. Porro ex parte receptaculi iidem occasio præberi potest
monstro e.gr. Cum una materia, quæ ab altero loco abjungi & adge-
minum conformari cœperat, postea ob angustias loci vel aliud ejus in-
commodum majori sive minori ex parte confunditur. Hinc fit, ut
fœtus interdum plura habeat membra, quam naturæ cursus postulat,
Monstris quoq; præberi fertur ansa à qualitatibus. Cum enim calor
vehemens est, vel valde remissus, & idem in cæteris qualitatibus, ne-
cessariò totam corporis & ejus constitutionem quæ ab illarum tem-
peramento pendet, everti oportet. Aliquando enim ante tempus
in fœtu adeò abundat calor cordis, ut faciat evaporationem partium
terrestrium, & generentur capilli, & barba: & aliquando in maxillis
calor cum aliqua copiâ materiæ, ut generentur dentes. Aliæ etiam
causæ accedere possunt. Cum scilicet regionis circumfusque aëris
affectio & constitutio invehit monstruosas ac deformes species: uni-
cuique enim patria quasi parens est, non minimam sibi in educendo
& efformando fœtu partem vindicans, cum ei suas etiam qualitates
impertiat nunc quidem propitias, nunc adversarias. Idem etiam asse-
rendum de corporum cœlestium influxu, qui quemadmodum gene-
rationi animalium plurimum observit, ita & partus multiformiter af-
ficit & vitiat. Quamvis etiam non parùm ansam monstris præbeat vis
imaginandi parentum, quæ nonnunquam facultatem formatricem
à scopo suo aberrare facit & formas absurdas ac peregrinas, quas con-
cipit, fœtui imprimit. Cujus imaginationis celebre habemus exem-
plum in divinis literis Gen. 30. ubi Jacob accepit baculos, in quibus
spatia decorticationis alba decorticavit, denudando alburnum quod
erat in baculis illis, quos baculos corticatos deinde collocabat in ca-
nalis & aqualiculis: & cum pecudes venirent ad bibendum è regio-
ne pecudum istos collocabat, ut venientes ad bibendum coalescerent,
ita incalescebant pecudes ad baculos istos, & partus varios erubus,
puncticulis resperfos, & latis maculis interstinctos pariebant. Sed
satis de hac materiâ; non enim ulterius procedere præsentis instituti
est. Nec quis putet omnes nos monstrorum causas recensuisse; non
enim omnes sed præcipuas & frequentiores collegimus. Etenim
cum non pauca ad effectus perfectionem requirantur, quæ deficere
possunt, absque dubio error multipliciter accidere potest unde mon-
strorum diversitas procedit. Plures causas monstrorum qui deside-

SECTIO III.

An natura intendat monstrum?

Multæ circa hanc monstri intentionem sunt opinioniones dicunt
enim aliqui naturam monstra intendere per se, propter pulch-
ritudinem hujus universi, quæ major fiet ex effectuum varietate: sed
hoc non consentaneum videtur. Illud enim non est nisi effectus sine
perfecti: cum tamen monstra sint imperfecta, neque etiam diu per-
durare possint: sunt etiam adeo rara, ut suâ varietate nullum speciei
dadant decorem. Alii verò dicunt quod natura quidem intendat per
se monstrum sed tamen secundariâ aliquâ intentione: Verum hæc
sententia videtur esse aliquandò durior. Quod enim sit naturâ à fine
intento aberrante, illud non potest dici intenti à naturâ. A mon-
strum sit naturâ à fine intento aberrante, Quomodo E. potest esse in-
tentum à naturâ? Contradictionem enim implicat manifestam esse
erratum naturæ, & intenti à naturâ. Nobis igitur in hoc dicendum
videtur monstrum dupliciter posse considerari, vel in respectu ad cau-
sam proximam efficientem, sc. ad generans particulare, vel ad causam
universalem. Si comparatur ad causam universalem & remotam
monstrum dicitur per se intentum, nam licet quidem causa ista re-
mota illam deformitatem primò & immediatè non facit, tamen quia
id facit, ad quod frequenter deformitas sequitur, dicitur monstrum
per se ab eâ intentum. Si verò comparatur ad generans proximum
ut particularem utique est effectus fortuitus, non per se sed præter in-
tentionem agentis istius particularis productus, & sic respectu homi-
nis generantis monstrum per se non intenditur. Naturæ enim in-
tencio est, quâ & assequitur ut plurimum, producere hominem unius
capitis, quinque in una manu digitorum, duorum pedum &c. Atque
hæc paucula de monstribus dicta sufficiant. Deo Fer Optimo Maxi-
mo sit Laus Honor & Gloria in secula sempiterna, Amen.

COROLLARIA.

Cujus usus bonus est id ipsum quoque bonum est, & contra.
Quod quid est simplicius eo est præstantius.
Quod est diuturnius illud est præstantius.
Amici sunt fures temporis.

*Talpa potest videre.
Aguas supracaelestes dari certum est.
Non datur penetratio corporum.
Mulieres non sunt monstra.*

Pullus Anatis à gallina exclusus monstrum non est.

Gleich wie ein kühner Held und tapffrer Kriegesmann/
Eänffte kühnlich in den Streit/ und greiffte die Feinde an/

Er zittert nicht/ ob gleich die Waffen ihn bedecken/
Ob schon viel fallen hin entseelt auf allen Ecken;

Damit er möge nur erlangen Lob und Preß/
Läßt er bey Tag und Nacht verspühren grossen Fleiß:

Also mein wehrter Freund/ weil Ihr ist auch wolzt rinnen
In Kampff der Musen Schaar/ zuübten Eure Sinnen/

So greiffte es mühsig an/ und wagte es frisch dahin/

Daß Ihr erlanget das/ wornach getracht/ Eur Sinn/
Und bringet bald davon die schöne Krohn der Ehren/

Die Kuern Ruhm und Lob wird fort und fort vermehren.

Mit diesem wenigen/ hat zu Bezeugung seiner treuen
nenden Affection seinem Höchgeehrten Herren
schuldigt aufwarten wollen

A. B. H.H.

Cur adeo multis Musis sic nocte dieque
Insudant lazi? Gloriam ne inde parent.

Hoc bene perpendis nunc Tu charissima Frater,
Dum tibi mens eadem quærere sic brabsum.

Nam in prima serie sophia jam semina solers,
Inde expectanda est, messis opima tibi.

Horrendum Monstrum nobis dopingis acuit,
Defectum varios illius arte doces.

Annuat his igitur cœptis nunc Christus Jesus,
Evensat studiis mollior aura tuis

Pergere ne cesses, sed cœptum fortiter urge

O Tu: Nam decus est tibi lausq, manens.

Hæc paucula, Domino Respondenti gratula-
bundus apponebat

J. J. CÆSAR. N.H.